



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

924. An in executione unionis vocandi sint, qui vi consenserunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

n. 22. Corrad. *pr. benef.* l. 2. c. 15. n. 83. Lott. l. 1. g. 28. n. 166. (ubi: In Episcopo prorsus necessaria est vocatio tam patroni, seu ejus, cui Ecclesia quocumque modo subest, quam Collatoris) Garc. *loc. cit.* n. 202. citans Pet. de Perus. *de union.* c. 3. g. 6. Lamb. *de jurep.* l. 3. g. 6. n. 2. Mandos. *ad reg.* 22. g. 8. n. 3. Covar. *pract.* 99. c. 36. n. 18. Fusc. *de visit.* l. 2. c. 26. n. 26. Paris. *de resign.* l. 2. g. 4. n. 11. Zerol. *in pr. Ep.* p. 1. v. unio. §. 7. *sub.* 4. &c. juxta Trid. *sess.* 24. c. 15. & *cit.* Clem. *de statu Monachor.* Et quidem ante omnes patroni vocatio, & consensus videtur necessarius; siquidem, ut Lott. *loc. cit.* n. 167. ex Zabarel. *conf.* 98. n. 3. Patroni vocatio duplici ratione requiritur, tum scilicet, quod cum per unionem contingat, Ecclesiam quodammodo capite minui, ejus defensio ipsi Patrono hoc capite competit: tum quia per eandem jam perditur patronatus. Fore tamen unionem validam, si Patronus laicus illi intra quatuor menses non contradixerit, ait Card. Paris. *conf.* 128. n. 2. vol. 4. apud Tond. *loc. cit.* n. 12. citans pro se Zabarell. *in Clem.* 1. *de suppl. negl. Prælator.* n. 11. quem tamen supponere scientiam simul & non contradictionem Patroni ait Tond. & non loqui in terminis unionis.

2. Ampliatur responsio primò: Ita, ut dum sunt plures Patroni, omnium consensus requiratur, & non sufficiat major eorum numerus, sed omnes consentire debeant. Ventrigl. *166. cit.* §. 1. n. 22. Tond. *loc. cit.* n. 10. Lott. *loc. cit.* n. 170. citans Verall. *Decis.* 146. p. 3. & citat pro hoc Garcias *loc. cit.* n. 206. Decis. Rotæ *in Spoletan. Capellan.* 17. Jun. 1551. in qua expressè dicitur, unionem factam de beneficio jurispatronatus Laicorum non accidentem consensu omnium patronorum esse nullam.

3. Ampliatur secundò, ut etiam, dum beneficium jurispatronatus unitur ad vitam, requirendus sit consensus patroni, cum & sic præjudicetur patrono circa præsentationem, dum nimirum ea impeditur pro illa vice, qua tale beneficium vacans unitur, Corrad. *pr. benef.* l. 2. c. 15. n. 86. & 88. ubi ait: tam in unione perpetua, quam temporali requiritur supradictus consensus; cum nullibi reperitur expressum, quod requiratur in unionibus tantum perpetuis, sed omnes absque aliqua distinctione dicant, hujusmodi consensum adhibendum esse in hujusmodi unionibus. &c. Quod si tamen fieret unio de tali beneficio jurispatronatus non vacante, sed pleno, non videri requiri consensum patroni, ait idem Corrad. *cit.* n. 88. cum tunc non videatur fieri patrono in aliquo præjudicium, non circa præsentationem; cum non vacet, nec per unionem inducatur vacatio: non circa alimenta & processionem; quia Rector Ecclesiæ, cui sit unio, tevetur ad hæc præstanta patrono, ut idem Corrad. *loc. cit.*

4. Ampliatur tertio: ut etiam, dum unio fit per Legatum de latere, requiratur vocatio, & consensus patronorum. Castrop. *cit.* n. 22. Barbofi *loc. cit.* n. 50. Garc. *loc. cit.* n. 211. Idque non solum, si juspatronatus est Laicorum, aut mixtum, hoc est, partim Laicorum, partim Ecclesiasticorum; utpote cui derogare non potest; sed etiam, quando est merè Ecclesiasticum. Castrop. Garc. *ll. cit.* contra Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 12. Tond. *loc. cit.* n. 13. Sanch. *loc. cit.* n. 169. Barbofi *loc. cit.* citantem pro se Lamb. *de jurep.* l. 3. g. 6. a. 1. n. 4. Rebuff. *in pr. tit. de union.* n. 28. quia nullibi in jure concessa est Legato hæc potestas derogandi jurispatronatus Ecclesiastico in unione beneficiorum;

esto enim, possit illi derogare, quoad provisionem talium beneficiorum, inde tamen inferri nequit, idem illum posse quoad unionem, utpote quæ titulum extinguit, adeoque & juspatronatus, & præsentationem in perpetuum, seu pro semper auferit. Garc. & Castrop. *ll. cit.* Idem est ex identitate rationis, dum juspatronatus est quidem Laicorum, sed acquisitum, non ex fundatione, dotatione, &c. sed præscriptione, consuetudine, privilegio, ut etiam à Legato unione requirendus sit consensus horum patronorum, & is huic jurispatronatus quoad faciendam unionem derogare nequeat. Garc. Castrop. *ll. cit.* contra Azor. Barb. Sanch. *ll. cit.* Secus est, dum agitur de unione facta per Papam, qui potest derogare jurispatronatus, & ideo valida est unio facta auctoritate Sedis Apostolica, etiam non interveniente consensu patroni Ecclesiastici, si Papa derogavit, Tond. *loc. cit.* n. 11. citans Card. Paris. *conf.* 128. n. 24. vol. 4. Rebuff. *conf.* 20 *vers.* quinto *respondetur.* quod idem erit de patronatu Laico, si ei derogavit, uti non minus illi, quam Ecclesiastico derogare potest.

Quæstio 924. An in executione unionis vocandi sint, qui ei consenserunt?

Respondeo negativè: Clausula siquidem illa: *vocatis vocandis*, concernit solum illos, qui possunt habere interesse, ac ideo possent contradicere; non autem ad eos, qui ob consensum suum jam præstitum unioni non habent amplius jus contradicendi; & ubi jam præstitus est consensus super gratia, novus non requiritur in ejusdem gratia reformatione, vel executione, aut alio actu accessorio, & consecutivo primi. Card. de Luca *de benef.* d. 47. n. 5. juncto n. 7.

Quæstio 925. An in unione sit exprimendus beneficiorum uniuersorum valor, & litigiostras?

Respondeo ad primum affirmativè; quia aliter constare non poterit, unionem esse necessariam, vel utilem. Castrop. *de benef.* d. 6. p. 12. §. 2. n. 28. Laym. *ad c. non potest.* de *prob.* n. 1. *in fine.* ubi in unione beneficii unius cum altero beneficio, qua sit per extinctionem beneficii uniti, utriusque verus valor exprimi debet, ut appareat, quanta sit necessitas; quia, cum talis unio odiosa sit, ideo fieri debet præmissa causa cognitione, &c. Hæc tamen intelligenda sunt de unione, quæ postulatur faciendâ à Papa, vel ejus Legato, quia hi valore beneficiorum ignoant: secus de faciendâ ab Ordinario, cui valor beneficiorum satis perspectus præsumitur. Castrop. *loc. cit.* citans Rebuff. *ad Reg.* 21. *Cancell.* gl. 5. & seq. Sanch. *in Decalog.* l. 7. c. 29. n. 178. Porro qualiter in impetratione beneficii necesse sit, facere mentionem unitorum, dictum alibi. Illud hæc notandum, quod habet Glossat. antiq. apud Chok. *ibid.* n. 12. nempe, quod, si non fecit mentionem de annexis, valorem tamen verum cum annexis expressit, gratia non sit subreptitia; intelligendo id, quando illa annexa erant accessoria ad illud beneficium impetratum; secus si fuissent principalia. Item quod habet ipsè Chok. *loc. cit.* n. 22. quod non sit opus facere mentionem dictæ unionis in impetratione beneficii uniti, si unio vel annexio viribus careat, vel ex defectu potestatis, vel ex defectu formæ.

2. Respon-